HERMANNUS von der Hardt.

Lectori S.

EN novam, nec inscitam, si rerum momenta spectes, orationem, in Concilio Constantiensi habitam, qua inprimis *impensum emendationis desiderium* clarissime iterum depingitur. Memorabile inter cetera quod ait, Ecclesiæ fidem potiorem esse Pontificis summi fatis. Ut præstet, in Concilio Constantiensi agere de Christianorum religione perpurganda ac redintegranda, quam de Pontificum dissidiis componendis.

Ægerrime etiam tulisse videtur, in Concilio Constantiensi tam diu disputari de causa *Doctoris Johannis Parvi*, qui subditorum hoc in Reges jus esse dixerat, quos, tyrannos, omni arte interficerent: Illam sententiam impiam, & in Principes æque ac totum reipublicæ statum injuriam, prorsus & absque mora non damnari miratus. Hæc enim virorum cordatorum communis erat sententia, quam & *Gerson* magno animo professus est, ut constabit, quando pleniora Acta istius controversiæ in Concilio diu multumque agitatæ ex *MSCtis Cæsareis Vindobonensibus* ac *Ducalibus Wolfenbuttelensibus* alio Tomo exhibebimus.

Præterea *autoritatem Concilii*, in similibus negotiis, publicam Ecclesiæ salutem concernentibus, majorem autoritate Papæ asserit intrepide. Ex quo colligit, fas non esse, in Constantiensi Concilio differre negotia quæ ad commoda Ecclesiæ vergant, usque ad novi Pontificis electionem. Insignis profecto fiducia Theologi illa ætate.

Simoniam præsertim in statu Ecclesiastico abominatur vir inte-

gerrimus, cujus damna in Ecclesiam redundantia non celat, quo est ore aperto, animoq; infucato.

Quis vero hic *Stephanus de Praga?* Num forte *Stephanus de Burgo, Prior S. Sepulcri Hierosol.* quem in Concilio extitisse referunt *Ulricus Reichenthal, Stumpfius, Munsterus,* aliiq; ; Levi forte calami apsu, quem nunc *de Burgo*, nunc *de Purgo*, nunc de *de Bargo* scribunt. Quod tamen non sit verosimile. Quandoquidem & in *Codice MSCto Helvetio Augiæ divitis* Orationes ejusdem autoris *Stephani de Praga* commemorantur. Forte & in *Codice MSCto Erfurtensi*, orationes in Concilio habitas complexo, hæ vel aliæ ejusdem Autoris orationes ejusdemq; argumenti sistuntur. Hactenus id nostrum non est definire, in quorum manus neuter codex, Helvetius & Erfurtensis, in hunc diem pervenit.

Neque expeditum, an hic *Stephanus de Praga* sit *Stephanus Aschpla*, Academiæ Pragensis Theologus, in Concilio Const. præsens, an *Stephanus Palez*, itidem Theologus Pragensis, in Concilio Hussi adversarius acerrimus, an alius. Frustra sane consuluimus illorum plurimos, qui vitas eruditorum recensuerunt.

Quod si posthac vitam fortunamq; hujus *Stephani de Praga* cognoscere aliquando dabitur, eruditis communicare suo loco haud intermittemus.

Cordatus sane vir fuerit, qui, omni hominum autoritate seposita, ingenue pronunciaret, quid sentiret, quiq; meliorem Ecclesiæ sui temporis fortunam enixe desideraret.